



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. VII. Quæstiones nonnullæ de materia donationis. Remissivè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

14. Illud permaximè hîc est advertendum, in quo maxime labi proclive est ei, qui perfundit questiones evolvit. Si enim extraneus habet à Titio, v. g. donationem excessivam, quam ipse extraneus bona fide accepit, bona fide consumpsit, nec in ullo factus est locupletior, ad nihil in conscientia obligabitur, sive Titio deinde nascatur filius, sive, si Titius, tunc, quando donavit, filios fortè habuerit; ad nihil, inquam, obligabitur, nec ad legitimam quidem dictorum filiorum. Ratio est, quia super prædictis circumstantiis ex nulla radice restitutionis urgetur ejusmodi extraneus, ut ex regulis universalibus de Restitutione constat.

15. At verò filius, qui recipit à Patre vivente bona, quæ, juxta alibi dicta, præsumuntur pertinere ad legitimam suam, recipit, inquam, cum præjudicio aliorum filiorum, debet etiam, teste Delugo d. 24. de Inst. n. 218. & 219. in conscientia computare id, quod accipit in suam legitimam, quamvis bona fide acceperit, bonæque fide consumpsit, nec in ullo factus sit ditior. Ratio est, quia, quando Pater illi donavit, jam extinxit obligationem donandi ipsi legitimam, & jam ipse filius suam eandem legitimam habuit. Ergo, quando illam consumpsit, suam legitimam consumpsit. Ergo eandem, mortuo Patre exigere non potest, publicatam enim haberet, quod esset in fratrum suorum præjudicium.

16. aliud esset, si filius bona fide occultè quid acciperet à Patre, & bona item fide consumpsit, nec inde fieret in aliquo ditior; tunc enim illud non obligaretur conferre in suam legitimam (quod certè obligatur, si mala fide) quia dum Pater nihil ipsi dedit, non extinxit ius legitimæ ipsi filio debitæ, quare poterit, mortuo Patre illam exigere. Neque dicas, hunc filium debere Patri id, quod clam ab ipso accepit, consumpsitque, unde debere ipsum compensare hoc debitum cum sua legitima post mortem Patris. Ne id dicas, inquam, nam filius propter bonam fidem jam dictam, & quia res accepta non extat, & in nihilo factus est ditior, nullum debitum habet quod debeat compensare Patri.

4. An maritus confitens, se recepisse hanc, vel illam quantitatē ab uxore pro dote, censetur illam donare. Vide apud Rodriq. in summ. l. 1. c. 198. num. 35. Dianam loc. cit. ref. 113 aliosque.

5. An donatarius, vel legatarius obligetur implere donatoris, vel testatoris sive vota, sive debita ex iustitia. Lege apud Dianam ibid. ref. 112.

6. Donatio liberalis, ut etiam testamentum facta metu, nimia reverentia, vel importunitate, per aliquos irrita sunt, per aliquos irritanda, sicut irritandi veniunt contractus onerosi. Vtriusque sententiam judicant aliqui, ut Diana ibid. ref. 129. probabiliter. Verum, ego de hac re dixi l. 1. in dec. c. 2. §. 5. d. n. 11. ubi adverti, quid intelligendum sit nomine nimie reverentia, & importunitatis. Vide etiam, quæ summam dixi supra, in tract. de Promiss. c. 4. d. n. 2. cum de promissione.

7. Donatio nunc facta Ecclesiæ construenda, seu Collegio olim fundando, valet, revocarique non potest. Quamvis enim nullus nunc adesset, qui acceptare legitime posset, (nam posset fortasse Prelatus) tamen ex voluntate donantis censetur facta nunc pro tunc, quando aderit Rector Ecclesiæ jam fundatæ, seu constructæ, qui acceptare poterit. Ita colligo ex Abb. in c. ad audientiam, de Eccl. edificanda. Duceo autem argumentum ex donantis voluntate, nam aliæ rationes, quas pro hac validitate, adducit Diana p. 8. tr. 6. ref. 125, non videntur mihi admodum efficaces, lege ipsum.

8. Quid fiat in conscientia, si rem donatam famulus non afferat donatario, & interim donator è vivis decessat? Dixi l. 8. in dec. tr. 4. c. 1. §. 5. n. 11.

9. An peccent, & ad obligationem restitutionis teneantur, qui recipiunt ea, quæ alter cum peccato, seu illicitè donati? Dixi l. 8. in Dec. tr. 1. c. 2. §. 4. n. 2. & universaliter habet Delugo, tom. 1. de Inst. d. 4. scil. 3. n. 49. & 50. Diana p. 8. tract. 6. ref. 39. aliosque.

10. An peccet, & obligationem Restitutionis contrahat, qui impedit donationem, sive licitè, sive illicitè alteri faciendam? Dixi l. 8. in dec. tract. 3. c. 4. §. 2.

11. De donatione, quam alteri facit filius familias ex bonis Patris, dixi l. 5. in dec. c. 4. §. 1. d. n. 7. cum de Ludo, & lib. 8. tract. 2. c. 3. n. 3.

De donatione Religiosorum, l. 8. in dec. tract. 2. c. 4.

De donatione Servorum, ibid. tract. 1. c. 2. §. 1.

De donatione, quam facit Pater, vel Mater filio, l. 5. in dec. c. 4. §. 2.

De donatione uxoris de bonis mariti, l. 8. in dec. tr. 1. cap. 2. §. 3.

De donatione inter uxorem & maritum, deque Sponsalitia largitate, dixi supra, lib. 8. de matrim. tract. 7. de oblig. cap. 2.

An usurarius, an ludeus, an cæcus possint donare causa mortis, vide apud Dianam, apud quem alia non pauca minutiora, Et dum ego tantisper quiesco, tu Vale

CAPVT VII.

Questiones nonnullæ de materia Donationis, Remissivæ.

1. AN donatio possit acceptari ab absente? Dixi supra in tract. de Promiss. c. 7. §. 4.
2. An post mortem donatoris? ibid. §. 3. n. 5.
3. An donatio inter vivos facta Capucinis, Minoribus, & Societati Iesu valeat, & quatenus? Vide apud Sancti lib. 7. summ. c. 25. 26. & 27. Casti. tom. 3. p. 3. n. 9. & 10. Dian. p. 8. tract. 6. ref. 104. aliosque.